Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

benedictione adiutus sit. tamen capitulo carebit. etiam si a domno abbate consecratus sit. non ipse presens. vel eo absente prior iussu ipsius hoc concesserit. quousque cum aliis qui benedicendi sunt professionem faciat. et cetera que in his tribus diebus agenda usus postulat. Tertia autem die quam per sacerdotem sic dictum est de capitulis et capella abstrahuntur. neque quamquam ulterius a capitulo separantur. et domnus abba secundum gratiam que singulis est data iubet eos de cetero in ecclesia servire. scilicet ut legant. et cantent qui hoc sciunt.

Quod diligenter examinandi sunt novitii sacerdotes et levite antequam officium suum permittantur agere.

De his tamen qui vel sacerdotes fiunt vel levite diligenter examinatur. quomodo sint ordinati. qualis sit eorum conscientia. qualis scientia. et per aliquot tempus probatur eorum conversatio priusquam eis huius ministerii licentiam permittat. Precipue qui sacerdos erat antequam veniret. omnino ab hoc officio prohibetur usque dum sepius perspiciens addiscat quam multiplici studio tale sacramentum tractetur a nobis. Quando autem domnus abba huiusmodi licentiam eisdem novitiis per se vel per nuntium dederit admonente magistro eorum non ad pedes ipsius sicut nec prioris in loco ubi sedentes venerunt. sed tantum in sedibus suis inclinant. Quod et tunc faciunt. si iussi coram assistunt. Et sacerdotibus qui de novitiis mox deputantur fratres huius officii periti. singulis singuli qui eos studiose instruant. quam magna diligentia sacerdotale officium celebrare debeant. Nulli tamen novitio quantumvis perito infra dimidii anni spacium absque magna necessitate licet apud nos maiorem missam celebrare. Sed ut hic meminerim. non tantum qui examinantur. quamquam iam examinati aliquomodo servire iubentur. unusquisque eorum sedens in capitulo breve diligenter attendit. ut animadvertat si est ad ullum scriptus obsequium. quod vel in ecclesia vel extra ecclesiam sit agendum.

De ebdomadario cantore.

Si est notatus ad invitatorium. antequam ipsum inchoet stans ad gradum cum suo collega. vel quando finit. utraque vice facit ante et retro. sed et priusquam invitatorium incipiat. et postquam incepit. et antequam post gloriam